

## PRÆFATIO.

facientibus, tractationi suæ subjecit, verique adeo Exegetæ & commentatoris axioma promeruit. Ad eum prorlus modum, quo & *Ægid. Hunnius*, ipsius in Academia Marpurgensis collega interpretationes suas in varios libros Nov. Test. Biblicos, nuper celeberrimi Theologi, *Jo. Henr. Feustkingii*, opera usui publico in lucem revocatas totiusque orbis calculo maximi æstimatas, concinnavit. Ut vere *Arcularius* encomium promeruerit *Balthas. Menzeri*, ingenioso disticho inclusum:

*Arcula dives erat sancto, dum viveret, auro;*  
*Ex qua particulam hanc, Lector amice, cape.*

Jam *Joannes, Canuti F. Lenæus*, ex Philosophiæ primum mox Theologiæ in Academia Upsaliensi Professore Regni Sveciæ Archiepiscopus, rarissimo exemplo sex & nonaginta annos in variis officiis, tres & viginti in Archiepiscopatu exegit. Quodque ipsi soli videtur contigisse, Regia tria capita in celebritate Augustissima Arctoi orbis & septentrionis oculis Regio cinxit diademate, duo in consortium conjugalis thalami copulavit matrimonio, unum sacri Baptismatis ablutum lymphamundatumque Christianæ reddidit Ecclesiæ, tuorum justa funebria celebravit, defunctorumque urnis ac cineribus terram levem injecit. Quæ ab illo in publicum edita sunt scripta, *Schæfferus* in Svecia literata recenset, quæ inter & est *Commentarius in Acta Apostolorum*, Upsaliæ primum editus anno MDCXL. Qui & eundem appellat *virum pietate erga Numen summum, probitate vitæ inter homines memorabilem, splendore ac dignatione muneris illustrem, rerum occasione illius gestarum magnitudine amplum, eventuum successu rarissimo felicem*. Comparet equidem ex ipso commentario & singularis viri eruditio & pietas in DEUM devota, vel hinc etiam elucescens, quod expositionem suam, seposita omni specie externa, ex mera sacri contextus reliquarumque Scripturarum curatori ruminacione, instituat. Quæ & observationes ei suggestit, haut alibi facile occurrentes & ad indelligendam Sancti Spiritus, per Lucam loquentis, mentem adprime facientes. Ut nonnisi cum summa delectatione fructuque cæteris interpretibus possit conjungi. De *Joanne Gerbarde* si dicere quidquam ejusque conquirere laudes instituum, quem omni laude superiorem esse nemo maximorum minimorumve ignorat,